

Jeroni Pau

Obra poètica

Mariàngela Vilallonga (ed.), *Jeroni Pau: obres*, vol. 2, Barcelona, Curial, 1986

I

EPITHAPHIVM IN LAVDEM CHAROLI
ARAGONAEI CITERIORIS HISPANIAE
ET SICILIAE AC SARDINIAE PRINCIPIS

Pace erat Augustus, templis Numa, lege Lycurgus
Charolus, ut Cicero, dictus ab urbe pater.
Pompelon hunc genuit, genitor rapit, ecce peremptum
Barcinon celeri funere maesta tenes.

II

EPITHAPHIVM BERNARDI VILLAMARINI
CATALANI EQVESTRIS ORDINIS

Qui Numidas Turcasque feros Maurosque fugavi
Classe potens, Lygurum maximus ipse tremor,
Quique mari longos potui consumere soles,
Mors ubi feralis rumpere fata solet,
Quo duce et Alphonso sunt addita sceptrā potenti
Et Gottalanensi subdita regna iugo,
Denique quem cunctae trepidarunt aequoris orae,
Hic tandem iaceo Villamarinus eques.
Nunc inter superos uiuit mens nescia mortis,
Viuit et in terris nomen ubique meum.

III
AD INSIGNIA HISPANIAE
ET SICILIAE REGIS,

Quam bene conueniunt claro hace insignia Regi
Nec temere a superis missa fuisse reor.
Signat enim uires Libycus leo, castraque pali,
Felix imperium moenia celsa notant.
Indicat ingentem animum Iouis ales, ac ipse
Denotat argenti candida corda color.
Aurum opes monstrat, rutilus color aspera Martis
Gesta, triumphantem pulchra corona uirum.
Huic dent fata precor, maurorum sanguine uicto,
Trans pontum Turcas pellere posse rates.

IV
AD VILLARIVM

Villari, ueteres inter numerande togatos
Cecropium uincis qui probitate uirum,
Quem Phoebus, quem Pallas amat, cui iure Senatus
Barcineus magno semper honore fauet;
Cuius ad eloquium sacraque oracula iuris
Hinc reus, hinc actor, maxima turba fluit.
Iam te per superos, studia et communia nobis,
Per patrios manes, haec pia uota precor:
Moenia dum colimus dominae sanctissima Romae
Fortunamque sequi fata uerenda monent
Dumque iuuat dubiis curas impendere rebus
Et nimium nobis terra latina placet,
Tu fratres nostramque domum charamque parentem,
(Vt facis), auxilio consilioque foue;
Accipies tandem reducem grauioribus annis

Gaudebitque simul cum seniore senex.

V

AD IOANNEM VILLARIVM
IVRECONSVLTVM BARCINONENSEM

Quis neget Hispanos temerarius esse latinos
Si tua, Villari, scripta diserta legat?
Tu Senecam Curiosque refers bonitate Catonem
Et simul eloquio cum Cicerone fluis.
Iura colens uarioque fori limatus in usu
Tu lites dirimis nocte dieque uigil.
Quid mihi nunc deceat pro te rogitare tonantem?
Hoc erit, ut superes Nestoris ipse dies.

VI

AD MARIANVM VENETVM

Saepe tuos damnas ciues quererisque gemisque
Quod taceant Veneto ciuica iura foro,
Exulet interpres legum repetisque frequenter:
Heu! nullus tanta doctor in Vrbe sedet.
Erras, crede mihi, iam te Mariane docebo,
Laudabis forsan iustius ipse tuos.
Implicat, inuoluit, notat hic, subdiuidit ille,
Alter et alterius saepe relata refert,
Diuinant alii, longis ambagibus omnes,
Ah pudor! et uiolant iura uetusta patrum.
Non sunt Clusini tibi nunc Thebaeque petenda,
Maxirnus in terris hic labyrinthus adest
Et chaos immensum et inextricabilis error.
Municipes damna nunc, Mariane, tuos.

VII
AD MARIANVM

Incestat sacras quidam, Mariane, puellas
Nec mirum est crescant cornua longa Ioui.

VIII
IN LAVDEM BARTHOLOMEI VERINI BALEARICI

Si quis erit nostros inter uenerandus Iberos
Integer et cauta simplicitate bonus,
Iura colens uictorque foro fidusque patronus,
Quem sibi collegam Celsus habere uelit,
Qui priscos referat uultu gestuque togatos,
Cui liceat tota principis aure frui,
Quemque frequens angat uel fessum turba clientum
Nec moueant Cressi nec Iasonis opes,
Fronte grauis doctisque fauens, sectator honesti,
Verinus fateor hic, Petre, noster erit.

IX
IN LAVDEM THESEI BENETI FERRANDI
VALENTINI BALEARICI EPIGRAMMA

Clara Valentini relegis qui scripta libenter,
Miraris totus quod Cicerone fluat.
Sed si conspicias uitam moresque seueros,
Alter hic est, dices, Fabritiusue Cato.

X

AD REVERENDISSIMVM DOMINVM
CARDINALEM VALENTINVM
SACROSANCTAE ROMANAE ECCLESIAE
VICECELLARIVM ELEGIA

Quis non miretur, stupeat, ueneretur, adoret,
 Si tua, magne pater, gesta superba legat,
Si sanctos uideat mores, si denique uitam,
 Si uultum, gestus uel semel ipse notet.
Tu Curios probitate refers, grauitate Catonem,
 Eloquio pariter cum Cicerone fluis.
Iura colens uarioque fori limatus in usu,
 Primus apostolici res agis ipse chori,
Munificusque potens omnique ex parte uerendus,
 Construis ingentes moenia, templa, domos,
Quot tua marmoreis memorem palacia muris
 Quae referunt priscae nobilitatis opus!
Pulchrius urbe nihil, nil percelebratius illis,
 Iam media Pontis de regione pater,
Iordanos iuxta colles Tyberisque fluenta.
 Qua petitur recto tramite Tuscus ager.
Haec uia Pompei quondam spaciosa theatrum
 Tendebat, Laurens nunc ubi templa tenet,
Campus item Martis tua iam fastigia seruat
 Nec procul hinc placidis Albula currit aquis.
Quantum Sublaci moles firmissima laudis
 Attulerit, pleno Barbarus ore sonat.
Quae tibi pro multis generosa Valentia donis
 Reddet, et Hesperiae terra beata dabit?
Nullus in Vrbe uir est, qui non tua tecta frequentet,
 Nullus quem lateat Borgia clara domus,
Flaminea licet ipse uia Sacraque ueharis,
 Non capitur tantis magna caterua locis.
Nec solum Ausoniae celebrant tua nomina gentes,

Ipse sed in toto nosceris orbe magis,
Nouit Arabs, Indus, Seres, Garamasque Britannus
Et si sub nobis Antipos ullus arat.
Et tua trans Geticos penetrauit fama recessus
Sunt et Hiperboreo nomina nota mari.
Tu pelagi insanos motus, tu mille pericla
Euincis, numen creditur esse tibi,
Inter diuitias tamen et tot culmina rerum
(Hoc mirum est) uirtus intemerata manet.
Hinc est quod primum te Martia turba salutat,
Hinc est quod primum semper in ore gerit,
Ipse etiam summo pastor Romanus honore
Te colit et uotis ducitur usque tuis,
Cuncta uelut cedunt uenienti lumina Phoebus
Sic te praesente candidus ordo tacet.
Sunt haec magna quidem, Deus ad maiora reseruat
Namque decet tantum sacra tyara caput.
O utinam optatos liceat mihi cernere soles!
Quis te mutato nomine, Roma, colet?
Tum mea te lyrico cantabit carmine musa,
Tunc canet heroo grandia gesta pede.
Si nescis, hoc Roma cupit totusque precatur
Orbis, nec mirum, te duce, tutus erit,
Te duce, non oriens Turca ditione premetur,
Nec suberit tristi Graetia clara iugo.
Tu Solymas ueteres sacraria prisca tonantis
Restitues, nostra relligione coli.
Tu Iopen Gazamque simul Beritumque superbam
Contundes, cedet Syria tota tibi.
Hoc quoque praedicunt caelestia sydera, uates
Mercurius magno cum Ioue uinctus erit.
Saturni uires iam tunc cecidere maligni,
Cum tua naufragio salua carina fuit;
Nec dubites parcas Petri transcedere metas,

Soluet enim legem Clauiger ipse tibi.
Viue igitur felix, praesul telluris Iberae,
Viue decus Latii, gloria magna patrum
Exsuperesque, precor, plures uel Nestoris annos
Nil melius, nam te maximus orbis habet.

XI

AD ARCEM SEV CASTELLVM NEPESINENSEM IN LAVDEM PRAEFATI REVERENDISSIMI DOMINI CARDINALIS VICECANCELLARII

Qui tibi, Roma, dedit miranda palatia, molem.
Sublaco, templum qui Nicolae tibi,
Moenia qui portus Traiani struxit et Albae
Fundauit celsas collibus ille domos
Quique Nomentanam muniuit turribus urbem,
Hanc arcem populis condidit ipse suis,
Vt quos interna contentos pace regebat
Externo tutos redderet ille metu.
Nunc hostes ridere potes, Nepesina iuuentus,
Qua metui poterant pars modo clausa manet.
Quam pia cura fuit, sumptus quoque praebuit omnes,
Borgiacam dixit ista decere domum.
Felices igitur tanto sub Principe nati,
Qui cum sit dominus, uult tamen esse pater.

XII

DE CAECO ET CLAVDO PARITER MENDICANTIBVS PER ORBEM

Vnum oculis, alium pedibus natura carentem
 Informemque suis fecit utrumque malis.
Addidit ingenium, quo nil praestantius unquam
 Vel dedit illa uiris, uel dedit illa deis.
Ingenio superant iniustae damna nouercae
 Prospicit et uitio doctus uterque suo;
Fert humeris claudum caecus graditurque per urbem
 Illius iste oculis, huius et hic pedibus.

XIII

[HAEC MANUS, OH LECTOR...]

Haec manus, oh lector, breuibus signata figuris
 Perstringit quicquid musica magna docet;
Pythagoras igitur ualeat ualeasque Boeti.
 Sufficit haec rudibus parua tabella uiris.

XIV

EPITAPHIVM CLARAE PAVLINAE

Clara, soror nostra, qua non formosior urbe
 Palladiae fuit doctior ulla manu.
Cuius ab undena sapientia surgere messe
 Cooperat, et mixtus relligione pudor.
Ille tuus frater, uitae tuus ille magister
 Linquere, quo fassa es carius orbe nihil,
Has cogor lachrymas iunctis singultibus absens
 Atque iniusta tibi soluere fusta miser.
Haec, germana, tamen maestae solamina menti
 Praebent, quod uisa es non doluisse mori
Et te quod ueteri contectam carne reuisam,

Quodque est parta tibi non peritura quies.

XV

AD BARCINONEM VRBEM

Iactitet Herculeam quamuis te uulgius Iberum,
Barcinon, Poeno de duce nomen habes.

XVI

AD DOMINAM

Atra lues dyra bacchatur tabe per urbes
Tuscorum et Pelopis moenia prisca tenet.
Hic furit ac pariter pereunt iuuenisque senexque
Et coram misero casta puella uiro.
Strata iacent passim uiduata cadauera bustis,
Quos alit una dies, altera condit humo.
Accelerant durae interrumpere stamina Parcae,
Ingenti quereris pondere fesse Caron.
Diffugiunt trepidi ciues: currit alter in urbes
Aemiliae et Ligurum oppida celsa subit;
Ille et in occiduos fertur pauefactus Iberos,
Nauibus hic Sardos Trinacriamque petit,
Quaeritur ast aliis Baccho gratissima Cyrne,
Gallorum penetrat alter ad usque sinus;
Solus ego intrepidus media inter funera uersor
Impavidum mortis ipse, Cupido, facis.
Sic ruo mentis inops furiis agitatus amoris,
Vt ruit in medios saucia cerua canes.
Non tamen est animus misera discedere terra,
Qua moueas tutum tu male chara pedem.
Ipse licet moriar, pro te periisse iuuabit

Morsque simul plures finiet una neces.

XVII

AD DOMINAM

Maestus eram curis quas tu male cara dedisti,
 Vicinum placuit nemus adire mihi.
Nunc auium cantus miror, nunc uallibus erro,
 Nunc iuuat iratae cernere murmur aquae.
Alnus hic immensos pandebat maxima ramos:
 Hac libuit nomen, saeua, notare tuum;
Crescet ut haec arbor, sic uos crescatis amores.
 Mox precor, o Superi, Venus amica, faue.
Finieram. Nostros Dryas miserata dolores,
 Deleuit gratas cortice nympa notas;
Deleat usque licet, mea te praecordia seruant,
 Nec nisi cum morte noster abibit amor.

XVIII

EPIGRAMMA MORALE VARIA REPETITIONE COLORATVM

Gloria magna uiris multos superare labores,
 Haec sola e cunctis gloria magna uiris.
Non in deliciis praestantia nomina uiuunt,
 Ocia non inter mollia uiuit honos.
Maeonides tantus, tantus non esset Achilles,
 Si sua per luxum tempora lapsa forent.
Et superi nullum, nullum censura tonantis
 Admittit, cui non anxia uita fuit.
Hic igitur toleranda animo sunt aspera forti,
 Cum uariis hic sunt bella gerenda malis;
At cum nos tanto bona mors certamine soluet,

Tunc locus aeternae, tunc requietis erit.

XIX

LOQVITUR CODEX

Quis me adeo pulchris emendatumque figuris
Scripserit ut noscas est operae pretium,
Hunc Carbonellum uocitant, quem Regia cura
Archiui uolit scepra tenere sui.

XX

TRIVMPHVS DE CVPIDINE ELEGIA

Cur mea uictrici cingantur tempora lauro
Quaeritis? et magna uoce triumphus eat?
Vicimus ecce tuas, Amor immitissime, flammis
Vicimus. Extincto iam fugis igne Venus
Exultantque animi dominum pepulisse superbum,
Nos iuuat atque graui colla leuasse iugo.
Libertas iam prima redit, cecidere catenae
Mentis et est uictus protinus hostis Amor.
Sint procul a nobis insania blanda furorque
Dulcis et elumbes sollicitent animos.
Ipse licet redeas telis armate Cupido,
Ridebunt ictus pectora nostra tuos.
Non me forma decens capiet, uultusque pudentes
Aut oculi rursus decipient hilares
Verbaque nec placido stringent praecordia nexu
Mollia, nec uirtus iunctaque forma simul,
Non clarum ingenium, sapientia, lingua diserta;
Queis passim capitur moribus ingenuus.
Nam si nos uicium nulla uirtute redemptum

Sollicitet, facile est disoluisse iugum,
Illud difficile est dominae compescere flammam
Quae praeter formam sit quoque digna coli.
Si formosa Helene tantum non culta fuisset
Ingenio, haud Priami Pergama lapsa forent.
Dotibus egregiis potuit quae perdere magnum
Aeacidem et forma percelebrata fuit.
Vidit Aristotelem uulgi praeclara canentem:
Cui cecinit sapiens pulchraque uirgo fuit.
Adde quod et paribus confixit pectora telis
Nos puer, et ualido iunxit amore duos.
Hoc tandem hoc ratio potuit mihi tollere pondus,
Et quamuis placidum, sustulit illa tamen.
Et ualuit mea mens nacta gaudere salute,
Seque sagax tandem reddidit illa sibi.
Hoc ego, cum furerem, fieri non posse putabam
Numineque est summi spes superata Dei.
Saeue puer ualeas captiuaque turba tuorum,
Quos precor ut possis non numerare diu,
Et ualeant tecum lachrymae, suspiria, quaestus,
Curaque, suspicio, continuusque timor,
Falsaque credulitas, insana pericula, mortes,
Anxietas animi, zelus et alia premens,
Temporis et census, iacturaque maxima famae
Et nox insomnis, langor, amarities.
Accendat requies, constantia, gloria, uirtus,
Verus et ipse Deo restituatur Amor.
Vos quoque ne totum dulces capiat, amici,
Scitis enim placido molle cor esse mihi,
Siue illud recto seu turpi accenditur igne
Non solet, ut nostis, Paulus amare parum.
Otia clara iuuent iam nos et honesta uoluptas,
Oblectentque animum scripta diserta meum.
Ipsa etiam blando quae nos cruciauit amore,

Hac quoque nunc poterit parte placere mihi.
Iure igitur cunctos laetari conuenit horis,
Iure caput nostrum laureaserta decent.

XXI

ELEGIA. LOQVVNTUR MVSAE

«Quid facis, imprudens, sacram ne relinquere laurum
Quaeris et insano reddere uerba foro?
Nocte dieque legis formas, rescripta, libellos,
Nullaque iam Musis hora relicta uacat.
Despicias, hae demens, uicturos forte labores;
Sic te iam lucri praecipitauit amor
Nec pudet insipiens nascentem extinguere famam,
Quam bene non poteris aere parare tibi,
Qua licet inuideant inmitia fata, superstes,
Durabis fructu nobiliore tui.
Omnia mors tollit, Musarum gloria mortem
Solaque post cineres uiuit et ipsa magis.
Quid Velleia facit uel lex Viscellia nobis?
Quid tibi glans terna quaque legenda die?
Quid quoque pauperies uel quid Cornelia Musis
Praebet et innumeris actio secta modis?
Quid tibi Pyrenes utrobi quorumue bonorum?
Quid cum Parnaso si lanietur inops?
Quid uariae mortis facies? Quid notio prodest
Poenarum et multo sanguine carta madens?
»Parte igitur tetricae nimium seruire Mineruae
Atque immature rumpere fata tibi.
Otia nos uolumus contraque negotia leges,
Non bene cum Musis iura seuera manent
Et tibi robustum corpus natura negauit

Vt de Castalio largius amne bibas.
Mitius ingenium studio foueatur amoeno,
Non est uerbosis litibus apta quies.»
Dixere. Ipse parum semotis undique libris
Solamen Musis talia uerba loquor.
«Non ego uos, Musae, non uestra incepta relinquo
Vt teneam culti iugera magna soli,
Vt mihi diuitias compressa retorqueat arca
Vtque manus miseras prodiga perdat opes.
Sed nihil a uestro cultu nil carmine uenit,
Cogimur hinc leges causidicosque sequi.
Haec etenim tribuunt uitae mihi commoda carae,
Vos inopem famam praemia uestra datis.
Quod facimus, plures quondam fecere poetae:
Cotta grauis iura calluit atque chelim.
Iudicis officium fertur sumpsisse Philetas
Charius atque Bathin inde aluisse suam.
Syllius et Musas coluit linguaque disertus,
Ausoniae consul ter tibi Roma fuit.
Plinius ipse etiam potuit comitante Thalia
Victor sollicito saepe redire foro.
Ah, nisi saeuisset postris crudelis Enyo
Moenibus et patrias extenuasset opes,
Me, mea Barcinon, caelo, inuidiosa, uideres
Cantantem totos praeteriisse dies.
Nunc me fors cogit peregrina uiuere terra
Et miserum untem tecta aliena sequi.
Illa iubet uariis animum submittere curis
Otiaque immitis denegat illa mihi.
Sed si hos iterum Latio regnabit Iberus
Et norit placidum Roma superba patrem,
Tum uos, Pyerides redimitaque turba, uenite,
Tunc cingant nostrum laurea sertra caput,
Tunc aderit Phoebus, tunc tristia iura ualebunt

Et dabitur toto tunc Helycone frui.»